



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. X. Vita Ecclesiasticorum laudabilis commendata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

Abusus opii
est etiam in
secularibus

Scharpius
Mennon-
zot.

Magistra-
tus politici
auctoritate
sollunt.

Pradican-
tes omnia
iudicia tol-
lunt.

Omni lex
obligat.

Magistra-
tus loco Dei
imperat.

Si consien-
tia nulla sit,
penam sa-
cile eludunt
aut susci-
piunt.

Multi diuitum lasciuunt in luxurijs suis, non ta-
men ideo rerum suarum Domini esse desinunt. Sic i-
pse Scharpius de magistratu, q. 1. obj. 7. argumentum
Anabaptisticum proponit. Multi Principes abutuntur
potentia, & pauci fuerunt boni. Respondet: Est captio ab
Accidente, quia vitia personarum non vitiant officium, simile est,
Iudas fuit malus, ergo Apostolicum officium reiiciendum. Ne-
gatur sequi, Deinde plures fuerunt boni reges.

Idem plane sibi responsum putent qui res ipsas
propter abulum sublatas cupiunt.

§. 6. Alterum Sectariorum axioma est. Leges ci-
uiles, seu leges magistratum non obligare in consien-
tia, ita de Magistratu Scharpius quaest. 2.

Hinc consequitur primo. Ex sententia aduersario-
rum omnem vim legum, auctoritatemq; magistratus
eneruari, atq; abjici. Si enim conscientiam leges ci-
uiles non constringunt, ergo nec imperium magistratu-
rus. Nam legem ita ita definit Scharp. q. 1. Lex nihil al-
iud, quam regis iussio. Si igitur praecipua iussio, quae fe-
rendis legibus constat, non obligat conscientias sub-
ditorum, multo minus alia, quae minore studio, so-
lennitate, cura; promulgantur. Secundo. Hinc ori-
ginem videmus conturbatae pacis in Germania. Post-
quam enim sine crimine leges ciuiles migrare se posse
audierunt homines, quos ante leges vix regebant,
quicquid moliri contra leges potuerunt, id licitum
duxerunt; hinc contemni edicta Caesarea, eludi iudi-
cium Camerae, vexari leges omnes, sententiaq; iudi-
cium, si enim conscientiam non obligat legislator,
nec metus vindictae incumbit, cur pareant illi legib.
quibus id damnosum est? Huic igitur sententiae dis-
cordias, & clades tribunalium debemus, hinc tot ex-
orta lites, & causarum pendendum ac revidendarum
rixosa immortalitas.

Quam vero illi perniciose, grauiterq; errent, mul-
ta nos docent. Nam legis communis est ratio, vt ob-
liget, non modo ad penam, sed etiam ad culpam, nisi
speciatim id excipiat. Nec rationem eleuat Schar-
pius, cum ait, Ius in conscientiam habere neminem, nisi so-
lum Deum. Quia ius hoc in conscientiam a lege Dei di-
manat, si enim magistratus vicarius est Dei, ergo loco
Dei imperat, obediendum est igitur tanquam a Deo
missio, ideoq; peccant, qui illi repugnant. Deinde q. 2.
licet, inquit Scharpius, pauci familias liberos, & seruos
disciplina regere, castigare, praemijs afficere, ergo &
magistratui, qui est pater Reipublicae. Conclude am-
plius, ergo & obtemperandum est subditis, sicut filiis.
Inter grauiora enim peccata filiorum refertur parenti-
bus non obedire. Hinc idem Scharp. q. 1. Magistratus
dicuntur Dei, quia a Deo instituti Dei locum tenent Iosue 1. o.
v. 35. & qui magistratum reiiciunt. 1. Sam. 6. 7. ergo. Offi-
cium cuius leges praescribit Deus, est a Deo: at magistratus le-
ges praescribit Deut. 17. & alibi, ergo.

Qui dantur & mittuntur a Deo, vt serui Dei etiam propter
bonum Ecclesiae, illorum officium est bonum, & inter Christi-
anos tolerandum. At Magistratus sunt tales, E. vide Prou. 8. 15.
Is. 10. 5. & 45. 1. Ier. 27. 6. Ez. 29. 20. Dan. 2. 34. & alibi, ergo.

Et deinceps praecipitur in N. T. vt magistratui nos subiti-
ciamus, vel Ethnicis Matth. 22. 21. Rom. 13. 1. & seq. Tit. 3.
1. Per. 2. 13. Ergo multo magis licet subesse magistratui Christi-
ano, & si licet subesse magis quia praesens, ergo subesse magis con-
trariatur libertati Christianae quam praesens, & autem Deus
praecipit, est bonum, & inter Christianos tolerandum, ergo.

Cum autem lex sit iussio magistratus omnino ob-
ligat, quamuis sit de re alioquin indifferente. Exem-
plo sit lex Anglicana, Ne die mercurii carne vescantur in-
cola. si non potest ad hoc obligare conscientias Rex,
clam igitur omnibus liberum est, quemadmodum
ante legem, vesci carnibus, nec quicquam juris in a-
nimis Rex obtinet.

Non est dissimulanda Satanar in subvertendo or-
dine, & disciplina consilium. Initio turbatum, Prae-

latorum Ecclesiae auctoritatem, potestatemque, &
leges disputando conuellerant, Magistratum politi-
cum tueri se profitebantur, imo multum etiam juris
in Ecclesiam vltro largiebantur. At vero vbi Ecclesi-
asticas leges vi, arte, vitiosisq; opprefferunt, Politicas
aggrediuntur, earumque neruos dissolunt. Minus
enim illis, quam Ecclesiasticis tribuunt. Sic enim
Scharp. q. 2. Si leges Ecclesiasticae non obligant conscientiam
extra casum scandalis, & contemptum, tum multo minus ci-
uiles. Ecce tibi, leges ciuiles infra Ecclesiasticas po-
nunt, quid aliud superest, quam vt quemadmodum
Canones Luther. in cinerem redegit, ita quoq; Pan-
dectas, Codicem, omnes Nouellas, omnia Germani-
ae iura totam Cameram, atq; adeo iustitiam ipsam
exurant?

Tertium axioma est; Licere magistratus ipsos oc-
cidere. De quo errore in libro de Syncretismo actum
est a me, sed a quodam anonymo quaedam sparsa in-
tellexi, de quib. alibi breuiter lector instruendus est.

CAPVT X.

Vita Ecclesiasticorum laudabilis com- mendata.

§. 1. **M**Ores Sacerdotum ad Reipubl. salutem, vel
euerfionem valere, omnis aetas docuit. Ex-
empla enim potentum in vulgus manant, exempla sa-
cerdotum pererrant. Qualis sacerdos talis popu-
lus, quin imo vulgus Deum talem arbitrat, quales
vidit illius ministros. Deos adulteros, homicidas,
fures, perjuros antiquitas finxit, vt caelestium exem-
plo sua scelera excusaret, inde in theatro spurcitia, in
circo furoribus, in amphitheatro crudelitate, vbiq;
scelerib. colebantur. Daemonum assectae, & ministri
ipfos Deos suos proxime moribus exprimebant. Orbi
quidem vniuerso sacra exempla debent Sacerdotes,
Deo autem omnia, tanto impensius, quanto arctius
illi conjunguntur.

Hoc nos iura nostra docent caus. 2. q. 7. can. 41. Nos
si competenter aliquid egimus, & subditis iusta legis tramitem
non conseruauimus, vestro ac missorum vestrorum cuncta vo-
luntus emendare iudicio: quoniam si nos, qui aliena debemus
corrigere peccata, peiora committimus; certe non veritatis dis-
cipuli, sed (quod dolentes dicimus) erimus praeter ceteros erroris
magistri; Inde magnitudinis vestrae magnopere clementiam
imploramus, vt tales ad haec, quae diximus, perquirenda Missos
in his partibus dirigatis, qui Deum per omnia timeant, & can-
ctis (quemadmodum si vestra praesens fuisset imperialis gloria)
diligenter exquirant; & non tantum hac sola, quae superius di-
ximus, quaerimus, vt examini sum examinent: sed siue minora,
siue etiam maiora illis sint de nobis indicata negotia, ita eorum
cuncta legitimo terminentur examine: quatenus imposterum
nihil sit, quod ex eis indiscussum, vel indefinitum maneat.

§. 2. Cum igitur omnes causae cur bene viuendum
sit, in Clericis conueniant, illis tamen illa, quae ad ex-
empla pertinet, est peculiarissima. Nam cum in alto
loco sint, cum arctiore disciplina viuunt, cum primo
motori immobili propinquius haereant; conspectio-
ria sunt eorum errata, magis defleunt, & efficacius
omnia conturbant. Nec tamen ita famam vereri de-
bent, vt etiam conuitia, & calumnias vitare se possent
confidant. Recte hac de re nos canones instruunt.
caus. 11. q. 3. can. 55. Inter verba laudantium, siue vituperan-
tium ad mentem semper recurrendum est, & si in ea non inue-
nitur bonum, quod de nobis dicitur, magnam tristitiam gene-
rare debet: & rursum si in ea non inuenitur malum, quod de
nobis homines loquuntur, in magnam debemus letitiam prosi-
lire: Quid enim, si homines laudent, & conscientia nos accuset?
aut quae debet esse tristitia, si omnes accusent, & sola consien-
tia liberos nos esse demonstret? Habemus Paulum dicentem
(gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae) Iob quo-
que dicit. Ecce in caelo testis meus. Si ergo est nobis testis in caelo,
testis

Dissoluen-
da Reipubl.
initium a
prelatis, si-
nus in prin-
cipib.

Mores Sa-
cerdotu po-
pulum tra-
hant.

Error Sa-
cerdotu po-
puli permi-
ciet.

Vitia Cl-
ricoru po-
tentius con-
mouent.

Inter lau-
dantes, &
reprehен-
dentes sola
conscientia
iudex est.

Graue est
sacerdotem
inebriari.

Pena ebrii
Clerici.

Ebriosus ex
communi-
catur.

Ebriofus ine-
mendabilis
morae mul-
tandi.

Prudentia
publica per-
sona neces-
saria est.

Negociorū
cognitio E-
piscopis ne-
cessaria.

Simplicitas
impedit ab
Episcopatu.

Ornatus E-
piscopi est
modestia.

tum mentis evertit; quanto magis noui Testamenti Sacerdotes odisse conuenit ebrietatem? Nonne si crimen est inter nidores bubularum, & ouillarum carnum, inter cruores hircorum, & vitulorum, inter ignes, & sartagine ebrium versari; crimen non erit, ebriosi ructibus sanguinem filii Dei, sanguinem Testamenti miscere: Deum ac Dominum inter vinorum postridiana incendia manducare: Egregie igitur Concilium Agathense cap. 4. Ante omnia Clericis vitetur ebrietas, quia omnium victorum fomes ac nutritrix est. Itaque eum quem ebrium fuisse confiterit, ut ordo patitur, aut triginta dierum spacio a communione statuimus submouendum, aut corporali subdendum supplicio.

Hos canones in vltimū reduci velim; nam si prisca disciplina non modo laxatur, sed etiam dissoluitur, quid tandem sperandum est de moribus? Quantam olim in Christianis temperantiam fuisse credendum est, Cum Eutyrianus Papa ediceret. Magnum ebrietatis malum, vnde omnia vitia pullulant Christianis, omnibus modis cauere precipimus. Qui autem hoc vitare noluerit, excommunicandum esse decernimus, vsque ad congruam emendationem. Et tunc conatus vitis magnis non defuit. Otto Cardinalis Episcopus Augustus Vindelicorum, Anno 1548. Synodum celebrauit, in qua ita statuitur. Item qui ebrietati, & crapula, & commensationibus perpetuo dediti sunt, & inhaerent, & maxime qui festos dies, aut noctes in tabernis exiguunt, illi post factam confessionem venerabilis huius Sacramenti sumptione per triginta dies est interducendum, ut ab his vitis se emendent. Quod si sacerdos nolint iuxta canonum decreta etiam morie multandi sunt. Non est nimium seuera illa censura. Nam Deuteronom. 22. 18. ita Deus iudicauit. Si genuerit homo filium contumacem & proteruum, qui non audiat patris aut matris imperium, & coercitus obedire contempserit: apprehendent eum, & ducunt ad seniores ciuitatis illius, & ad portam iudicij, dicentque ad eos: Filius iste noster proteruus & contumax est, monita nostra audire contempsit, commensationibus vacat, & luxuria atque conuiuiis: lapidibus eum obruet populus ciuitatis: & morietur, ut auferatis malum de medio vestri, & vnuerfus Israel audiens pertimescat.

§ 8. Prudentem, *σοφειρα* vocat Graecus, quod temperantem aliqui interpretantur. Temperantia pauciterque prudentia exigitur; hic prudentiam intelligo, nam de temperantia partibus sapientis mentio fit. Non sane sufficit ad Episcopatum recte gerendum sancta simplicitas, sed magna circumspectio inter tot malos necessaria est. Oportet ordinandum esse prudentem, quod contra eos notandum, qui sub nomine simplicitatis exculant stultitiam Sacerdotum. distinctione 39. Sacerdotum labia custodiant scientiam, & legem requirunt ex ore; Verum hoc loco de prudentia gubernandi agi constat, quae interdum eximius, & sanctis alioquin doctoribus deest. Ideoque & secularium negotiorum peritus esse debet; nam illorum tractatio ad pietatem saepe utilis, interdum est necessaria. ita Gregorius, Clero & nobilibus Neapolitanis epistola 40. libro 8. Petrus Diaconus (distinctione 39. capite 1.) quem a vobis electum asseritis, omnino (ut dicitur) simplex est: & nostis, quia talis hoc tempore in regiminis debet arce constitui, qui non solum de salute animarum, verum etiam de extrinseca subiectorum vtilitate, & cautela sciat esse sollicitus.

§ 9. Ornatum, *κοσμιον*, compositum alii vertunt, seu habitum compositum. intelligo eum, qui victu, habitatione, vestitu, decentem modestiam praefert, qui verbis moderate vitatur. Plaro lib. 1. Polit. vocat *κοσμιος*, qui facies sunt, & *εὐνοιοι*, affabiles, comites. Medium enim multorum omnibus accommodare sese, omnibus prodesse oportet. De hac *κοσμιότητι*, seu modestia ornatus, accipio tot canonū praeceptiones di-

stinctione 41. capite 5. Parsimoniam cum veste humilis (Concilio Granatensi. capite vltimo.) non reprobamus, sicut etiam ornatum propter curam corporis non superuacuum (*ἀναγκασιον*) laudamus: dissolutos autem, & fractos in vestibus incessus non recipimus. Et aurea est regula Concilio Carthaginiensi. 4. Clericus professionem suam & habitum, & incessu probeat; & ideo nec vestibus, nec calceamentis decorem quarat. Non enim venerat Concilio in mentem periculis postumas vanitates praedam- nare. Incompositio corporis inaequalitatem mentis indicat. Mutabilis ille est, & conscientia affigitur, cuius modo est citus, modo tardus incessus.

§ 10. Hospitalis; Diuitem igitur esse oportet; aut a populo accipere, vnde hospitalitatem seu *ἐπιμελειαν* perseveranter exercere possit. Hospitalis vero (distinctione 42.) sacerdotem oportet esse, ne sit in numero eorum, quibus in iudicio dicitur (Hospes eram, & non suscepistis me.) Qui enim apostolum secutus, alios ad hospitalitatem debet inuitare, quemodo hospitalitatis exhortator poterit esse, qui domum propriam hospitibus claudit? Si enim Sacerdos primum a seipso, & a domestica Ecclesia sua debet exigere, quod postea populus imperet: si primum, Christum imitando, ipse debet facere, quae postea populum doceat, necesse est, ut pauperes hospitio recipiat, quo ad hospitalitatem facilius suo exemplo subditos attrahat.

Zelandum esse pro hospitibus, quia hospitalitas etiam apud barbaros inuolabilis custoditur, nos monent canones, 32. quae 7. offerebat. Imo 16. quae 1. quoniam. Res Clericorum vult esse communes hospitali. Maxime tamen praetatis ea virtus conuenit, quia cum habeant vnde possint esse liberales, debent & velle. distinct. 89. volumus, & 12. quae 1. quia. Olim sane tanti ea res fuit, ut Gregor. Archidiacono Florentino neget confirmationem Episcopatus, si tenax sit, ut eius domum nullus amicus introeat. distinct. 85. Archidiaconum. Hospitalis igitur esse conuenit, qui alios cohortari ad hospitalitatem ex officio debent. Vnam nunc in Clero sit ea *ἐπιμελεια*, quae olim in laicis fuit. Carolus Rex Sveonum, eius, qui ter hospitium negasset, domum incendi iussit. Joannes Magnus l. 4. c. 2. Neque dubito, quin multa praetorum domus, multa monasteria in flammis abierint, quia adulatoribus, non hospitibus patuerunt.

§ 11. Doctorem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere. Ita sane explicatur quod in graeco legimus, *διδασκαλὸς* noster legit *διδάσκων*, eodem sensu, qui enim vere doctorem agit, ad docendum aptus sit, necesse est. Olim in Latino fuit, *doctorem* quod merito Hieronymus reprehendit. Maxima est, sanctissimaque functio Episcoporum, docere: id ipsi per se praestare debebant, si non ex ambone, idoneos suo loco collocare tenentur, ut quorum errata ipsi sint luituri.

§ 12. Non violentum. Graecum textum, *ἀεὶ ἡρεως*, Chrysostomus interpretatur, qui vino ardens effertur, & bacchatur; Syrus vinificatorem, Beza vinosum, quasi vino assidentem. Apostolus v. 8. Non multo vino deditum interpretatur. Est vero *ἀεὶ ἡρεως* per vinum, & lasciuia, contumelias iniuriarumque adferre. Hinc apparet *ἀεὶ ἡρεως* ebriosi peiores esse, cum ebrietati contumelias in alios adiungant.

§ 13. Non percussorem. *πληκτικον*, Chrysostomus: de maledico, & conuiciatore, sed non de verberum iniuriis intelligendum est Pauli dictum. Sed distinctione 86. cap. non liceat, veratur percutere suis manibus, etiam eos in quos corrigendi potestatem habet. Et distinctione 45. capite septimo. Deici iubetur Episcopus, aut presbyter, aut diaconus, percutiens fideles delinquentes, aut infideles inique agentes. sic enim vitia non corrigunt, sed odio se, & timore

Vanitas de
ricorū quo-
rundam.

Hospitalis
esse debet,
quia doctor
est liberali-
tatis.

Praetati ho-
spitales san-
to.

Inhospitali-
tatis pena.

Percutere
non licet.

more subditos onerant. Deponendi igitur illi qui Clerici militiam sectantur, qui noctu urbium plateas infestant, obuiisque cadunt. Quos potius domesticos, & vrbicos latrones, quam Clericos dixeris. Si enim Clericus in sacris ordinibus, non potest esse tabellio in causa criminali, vt est libro tertio decret. Ne clerici. &c. capite octauo. sicut te. Si Clerici nec dictare, nec proferre sententiam sanguinis debent, nec quicquam exercere per quod ad sententiam sanguinis tendatur, vt hoc loco tradunt, si Clericus arma portans priuilegio Clericali excidit post trinam monitionem. de sentent. excommunic. cap. In audientia. Quid illi merentur qui per iniuriam alios percutiunt?

Clerici gra-
satores eli-
minandi.

Facilis sit
clericus, &
cedat.

Pacificus sit
clericus.

Clerici cu-
pulas pre-
cipiat.

Cupiditas
negociorum
causa.

Domici-
cus, foris o-
culatus non
erit.

§ 14. Sed modestum. *ἐμετρώ*, æquum, de suo iure facile remittentem; nihil enim grauius, quam rigidi iuris exactio, si in principe sit. Nam inde contentio, odiumq; nascitur. Ideo & Dominus fratri septuagies septies vsque remitti imperat.

§ 15. Non litiosum. *ἀμαχόν*, à contentionibus & pugnis alienum. contra eos distinctione 46. capite primo. Ecce, quare litiosi prohibentur in episcopos ordinari. Est & alia causa huius prohibitionis. Litiosi namq; vel adulationibus animos principum sibi conciliant: vel fratribus suis detrahendo, infamia notam ingerunt; vel inter fratres discordiam seminando, seditionem: nunquam facere cessant: quæ omnia in prelatis damnabilia esse probantur.

Denique distinctione 90. Litigantes in concordiam vocare Sacerdos, non ergo ipse litigare debet.

§ 16. Non cupidum. Non turpe lucrum sectantes; *ἐν ἀσχετοῖς*, non turpilucrum, vt loquitur Hieronymus ad Heliodorum. Cupido Clericos secularium audios negociorum facit, in quibus nonnulli pro dolor ipsis secularibus sunt versatiores. omnia ista complexa est Moguntina Synodus sub Carolo Magno capite decimo quarto. & sub Rabano Episcopo capite decimo tertio. recitatur libro tertio decretal. titulo quinquagesimo. Multa sunt negotia secularia de quibus pauca perstringamus, ad quæ pertinet omnis carnalis concupiscentia. Quicquid plus iusto appetit homo, turpe lucrum est: Munera iniusta accipere, vel etiam dare: Pro aliquo seculari quasiu, precio aliquem conducere: Contentiones, vel lites, vel rixas amare: In placitis secularibus disputare, excepta defensione orphanorum, aut viduarum: Conductores secularium rerum, aut procuratores esse: Turpis verbi vel facti esse ioculatorum, vel iocum secularium diligere: Aleas amare: Ornamentum inconueniens proposito suo querere: In delicijs rinere velle: Gulam & ebrietatem sequi: Pondera iniusta, vel mensuras habere: Negotium iniustum exercere: Nec tamen iustum negotium est contradicendum propter necessitates diuersas, quia legimus sanctos Apostolos negotiati fuisse: & in regula Beati Benedicti precipitur prouideri per quorum manus negotia monasterij procurantur: Canes & aues sequi ad venandum: & omnibus quibuslibet causis superfluis interesse. Ecce talia, & his similia, ministris altaris DOMINI, necnon & monachis omnino contradicimus; de quibus ait Apostolus: Nemo militans DEO, implicat se negotijs secularibus. Et in Concilio Lateranensi vetatur esse procurator generalis principis, vel iustitarius. In Concilio Londonensi. luci causa negotiatio prohibetur.

§ 17. Sui domui bene prepositum. Vt bene præsit domui suæ, opus est, vt neque res suas dissipet, nec malis artibus adaugeat, deinde vt domesticos in officio, disciplinaque contineat. Quomodo integram diæcesin administrabit, qui vnus domus potens non est? quomodo tot viris prudentibus, nobilibus, addo callidis, malitiosis imperabit, si domitutoris eger? Si domui suæ præesse non nouit, id

vel ab insigni negligentia, vel imprudentia procedit, quorum vtrumque Reipublicæ noxium est.

§ 18. Filios habentem subditos cum omni castitate. Si qui filios habens fideles, non in accusatione luxuria, aut non subditos.

Castitatem noster interpretes intellexit per *ἀκατάστατον*, quia accusationem luxuriæ remouet: Si vero filios, hoc est, suum sanguinem negligit, quomodo Ecclesiæ curam habebit?

§ 19. Non neophytum. Non vetat iuuenem eligi, sed neophyton, recens conuersum, & religione imbutum: ne in superbiam elatus, incidat in iudicium, & damnationem, qua diabolus damnatus est, qui de cælo propter superbiam cecidit. Pulchre omnino Gratianus distinctione quadragesima octaua. Prohibentur etiam neophyti in episcopos ordinari, vt qui heri erat catechumenus, hodie non fiat Episcopus; qui heri erat in theatro, hodie non sedeat in Ecclesia: qui vespere erat in circo, hodie non ministret altario: qui dudum fuerat fautor histrionum, hodie non sit consecrator virginum. Causa autem huius prohibitionis est secundum Apostolum, ne elatus in superbiam, tamquam religio Christiana plurimum eo egeret, incidat in ruinam diaboli. Momentaneus namque Sacerdos nescit habere humilitatem, obseruare modos personarum, vel se contemnere: non ieiunauit, non fleuit, non se correxerat, non pauperibus erogauit. In arrogantiam (que est ruina diaboli) incidunt, qui puncto hora necdum discipuli, sunt magistri.

Concilij Niceni canon ille est. Quoniam multa siue per necessitatem, siue ex quacunque causa contra regulam gesta sunt, ita vt homines ex vita Gentili nuper adhuc catechizati, vel instituti, statim ad spiritalem baptismum venissent, & continuo cum baptizati sunt, etiam ad episcopatum, vel ad presbyterium prouecti sunt; recte igitur visum est, de cetero nihil tale debere fieri. Nam & tempore opus est, vt sit catechumenus; & post baptismum multa probatione indiget. Euidens namque est Apostolicum præceptum, dicens: Non neophytum, ne forte elatus, in iudicium incurrat, & laqueum diaboli. Si vero procedente tempore aliquod peccatum admiserit, & conuictus duobus vel tribus testibus fuerit; cesset à clero qui huiusmodi est. Si quis vero præter hac facit, tanquam contraria statuti Sancti Concilij gerens, etiam ipse periclitabitur de statu sui cleri.

§ 20. Oportet autem illum & testimonium bonum habere ab his, qui foris sunt; vt non in opprobrium incidat, & laqueum diaboli. Optime Hieronymus ad Oceanum. Quale principium, talis est & clausula qui irreprehensibilis est non solum à suis domesticis, sed ab alienis consono ore laudatur. Tanta olim fuit æstimatio Episcoporum, vt ipsi gentiles frequenter causas suas ad eos deferrent.

§ 21. Diaconus similiter pudicos. *σεμνός*. Pudicos animo, deinde corpore, 32. quæstione quinta. itane. Nam pudicitia non est in corpore, nisi in spiritu sit insita castitas. Neque casto spiritu, vel lingua, vel oculus est impudicus. *Σεμνότης* alioqui est virtus speciosa, castitatis comes, in verbis gestibusque decens verecundia grauitasque omnino talis, qualem in filia, filioque ingenuæ, pudiceque educatis seuerus pater amat, & probat. Arist. Rhet. 2. *Σεμνότης ἐστὶ μαλακὴ καὶ ὑπερβαρὺς βασις*; grauitas non aspera, aut superba, sed bene morata.

§ 22. Non bilingues. *μὴ διλόγος*. Os bilingue Deus detestatur. Prouerb. 8. 13. Timor Domini odit malum: arrogantiam, & superbiam, & viam prauam, & os bilingue detestatur. Et 8. 8. Verba bilinguis, quasi simplicia: & ipsa perueniunt vsque ad interiora ventris. Et Ecclesiast. 5. 17. Super furem enim est confusio & penitentia, & denotatio pessima super bilinguem. Et 6. 1. Noli fieri pro amico inimi-

Ecclesiæ
regere non
potest, si fi-
lios exleges
esse sinit.

Si non neo-
phytus, quo-
modo puer?

Virtutum
habere ab his,
qui foris sunt;
vt non in opprobrium incidat,
& laqueum diaboli.

Pudicitia
verborum
& gestuum.

Sinceritas
diaconorum.

inimicus proximo: improprium enim & contumeliam malus hereditabit, & omnis peccator inuidus & bilinguis. Et 28. 15. Sufurro & bilinguis maledictus: multos enim turbabit pacem habentes.

Non igitur mirum est, si Apostolus diaconos requirit non bilingues, cum homines quoscunque bilingues diuina sinceritas detestetur.

§ 23. Verum in diaconis causa peculiaris est. Minister est sacerdotum diaconus, distinctione 99. Dominus, sed tamen honoratior plebe; non aliter plebi, aliter sacerdoti loquendum, ne schisma faciat; oculus est Episcopi oberans, & circumlustrans, 93. distinctione, itaque magna opus cautione, ne vel incaute notet, vel indiligenter, aut prae referat, ex monitore delator. Assistit Episcopo praedicanti, ne ab amulis infestetur, distinctione 93. diaconi qui. Praestit Ecclesiae huius, ideo saepe supra sacerdotes & Episcopos sese extulerunt diaconi, captato populi fauore, quod maxime bilingues facit, dum hinc ambitiose populo, inde fallaci adulatione Episcopo se insinuat. Jam olim se quidam presbyteris aequabant. Concilio Niceno capite decimo-quarto. Et Toletano quarto, capite trigesimo octauo. & Hieronymus ad Euagrium Epistola octuagesima quinque. sinceritas itaque in diacono requiritur, ut Deum, Episcopum, presbyteros ex animo honoret, illis ministret, nullo modo obrectando maioribus, ipse maior fieri conetur.

Quid igitur os bilingue? Hebraeus vocat חֲפֵזָה quod apud 70. vertitur διασπασμένης ὁδὸς καὶ ὁδὸν, peruersus vias malorum. alij os peruersitatum, os versutiarum, Theodorus ὁμα σπασμένην, intortum os. Nolter omnium accuratissime. Os bilingue, nam חֲפֵזָה est vertere, conuertere, in aliam formam mutare. itaque 70. vertere solent: σπῆσθαι, διασπῆσθαι, μετασπῆσθαι, μεταβαλῆναι, κολῆναι. & quod hic ponitur חֲפֵזָה, Prouerb. 23. 33. σκόλια. & Prouerb. 17. 21. dicitur חֲפֵזָה אִישׁ, ὁ ὡς περὶ σκόλιον, vir mutabilis, versatilis, vir mutatum; proprie διασπῆσθαι esse, seu διασπῆσθαι, lingua illa serpentum est bifidula, veneni instillatrix, lingua illa διασπῆσθαι, dicitur Graecis. quae vel ita fallit, ut sermo prolatus discrepet ab interno, & qui apud alios atque alios, alius est, atque alius. Ecclesiastici decimo octauo, decimo sexto. vocatur ἡ ἀσπῆσθαι, lingua tertia, quod inter duas quasi media utrinque dilectas secat. Vide doctissimum Delrium in sacris adagiis. Sunt vero linguae peruersitatum, cum veritatem inuertunt, vane promittunt, laudanda culpant, praua dilaudant, praesentibus adulantur, abfentes rodunt, ad gratiam audientium contraria loquuntur.

§ 24. Habentes mysterium fidei in conscientia pura. Non monet ne efferant, quae domi geruntur, hoc enim non est habere mysterium in conscientia pura, sed credi sacris mysterijs ab illis omnino vult; cum diaconi potestate accepta docere possint; deinde quia conscientia relicta, vel suppressa fidei naufragium imminet. Neque enim haec res vlla apostatam fecit, nisi conscientia scelerum perpetratorum, vel sperata licentia faciendorum.

§ 25. Hi autem probentur primo, δοκιμαζόμενοι πρῶτον. Nun hoc negligitur, & quod dolendum est, ubi viget etiam disciplina, non satis probantur ordinandi. Hinc omnium malorum origo, dum ad ordines sacros admittuntur indigni, si non pecunia, saltem fauore, ignorantia, probationis omissione. In Ecclesiis nonnullis scrupulosissime nobilitas quaeritur, virtus negligitur. Hoc quam-

diu non corrigitur, non est speranda reformatio, quia turpius eicitur, quam non admittitur clericus. Neque de hac neglectione vlla species excusationis adduci potest, cum sint tot canones, qui probationes & testimonia exigunt. Haec res materiam obloquendi cunctis haeresibus dedit, imo haereses creauit, dum in factarium Domini admitti vident eos, qui sinistra fama in mundo vixerunt. Quid haeretici obijciant omnium inuectiue clamant. Specimen dabo ex Erasmo eorum prodromo. In caput tertium Timothei. Quin illud magis mirum, cum tot egregias dotes requirit Paulus in Episcopo, ceteris praetermissis, solus vxoris habetur ratio. Admittitur incestus, admittitur homicida, admittitur pirata, admittitur sodomita, sacrilegus, parricida, denique quis non? solus digamus excluditur ab hoc honore, qui solus nihil admisit. Mirum est autem ut quidam virgeamus ac pliusquam mordicus teneamus, ad quadam prorsus conuientes. Si quis perpendat horum temporum statum, quotam portionem hominum monachorum greges occupent, quotam sacerdotum & clericorum collegia: deinde perpendat, quam pauci e tanto numero vere seruent vitam castimoniam, tum in qualibet genere quam innumeri deuegant, quanto cum probro complures palam incesti sint & impudici, fortassis iudicabit magis expedire, ut iis qui prorsus non continent, ius fiat publici matrimonij, quod absque mala fama, pure sanctaeque colant, potius quam infelicitate ac turpiter libidinentur. Nunc calibes habet mundus quam plurimos, castos perpaucos: quanquam nec is castus est, qui videretur non attingit, quia non licet. Sed etiam atque etiam vereor ne census Ecclesiastici castrent hodie clericos veracius quam pietas, dum metuimus, ne quod tenemus intercipiatur, aut certe nihil accedat.

Hyperbolice vitia extollit, ipse apostata & defertor, qui bene loqui de illis quos male deseruit, non potuit, ne fugam suam accusaret. Hoc tamen verum est, in sacerdotibus DOMINI fuisse Officios, & Phincas, Jafonas, & Caiphas, nec magis mirum id longo saeculorum tractu aliquoties contigisse, quod tempore DOMINI accidit, ut Judas proderet, discipuli negarent. Remedium tamen est, ante datos ordines instituta probatio, qua neglecta Episcopi, praetique causa malorum sunt, & quamuis ipsi mysterium conferunt in conscientia pura, li tamen cito manus imponant non probatis, communicant peccatis alienis, illis tanquam suis damnandi, quia negligentia, & cooperatione sua fecerunt. Verum de illis alio tempore agam. Neque enim dissimulandum est, quod publicum & notorium est.

§ 26. Nullum crimen habentes. Si quis sine crimine est. ἀνελάττος vocat, quorum ea sit non modo integritas, sed etiam fama integritatis, ut crimen illis imponi, & in iudicium vocari non possint. Est enim ἐλαττωμα atrox iniuria, propter quam praetor actionem dare solet. Si Clericus infamia laborat, nec conuinci potest, iurciurando se purgat, 15. quaestione quinta. infamis, & 3. quaestione quarta. nulli, & quaestione quinta. omnes. 4. quaestione prima. diffinimus; quomodo Clericus infamis esse potest? cum infamia Clericorum propter aliorum scandala maxime postulet purgationem? 2. quaestione secunda. presbyter.

§ 27. Dei dispensatorem. Est enim ΔΕΙ οἰκονομῆς, bonorum maximorum, hoc est caelestium dispensator. Secundaria igitur de rationibus, commodisque sit cura, oportet. De officio Episcopi in dispensandis rebus externis constituit Concil. Antiochenum, 12. quaest. 1. cap. 23. Episcopus Ecclesiasticarum

Lingua bifidula serpentum est.

Fides & mores coniungendi.

Probatio ordinandorum neglecta, facit ut improbi ordinentur.

Improbiorum ordinati haereses creant.

Et maledicta essent tollatur ecclesia.

Examinatores ordinandorum malorum peccati ut suis damnantur.

Episcopi ex clericorum iudicio res dispensent.

verum habeat potestatem ad disputandum erga omnes, qui indigent, cum summa reuerentia, & timore Dei. Participet autem & ipse quibus indiget (sitamen indiget) tam in suis, quam in fratrum qui ab eo suscipiuntur, necessarijs vsibus profuturis, ita vt in nullo qualibet occasione fraudentur, iuxta sanctum Apostolum sic dicentem. (Habentes victum, & tegumentum his contenti sumus.) Quod si contentus istis minime fuerit: conuertat autem res Ecclesie in suos vsus domesticos, & eius commoda, vel agrorum fructus, non cum presbyterorum conscientia, diaconorumque pertractet, sed horum potestatem domesticis suis, aut propinquis, aut fratribus, filiisque committat, vt per huiusmodi personas occulte res ledantur Ecclesie, synodo prouincia parua isse persoluat. Si autem & aliter accusetur Episcopus, aut presbyter, qui cum ipso sunt, quod ea, qua pertinent ad Ecclesiam, vel ex agris, vel alia qualibet Ecclesiastica facultate sibi inuit vsu perpendit, vt ex hoc affligantur quidam pauperes, criminationi vero, & blasphemijs tam sermo predicat ionis, quam ij, qui dispensant, taliter exponantur, & hoc oportet corrigi, sancta synodo id, quod conceder, approbante.

Contumacia in societate noxia.

§ 28. Non superbum. ἀυδάδν vocant, praefractus, & iudicio suo nimium innixos. Vitium enim hoc est τὸ ἐμπύκτων, non κοινωνικόν, qui enim seipsi contenti, in consortio aliorum non degunt, facilius praefracti euadunt. Itaque humilitas sacerdoti commendatur, ne nouas opinionis ex scriptura conflagat diff. 30. haec autem, ne auferre, sed manifeste subditos corrigat. diff. 4. 5. licet nonnunquam.

§ 29. Non iracundum ἐργάδν, iracundiae fons est superbia, quae enim opinio contemptus. Magnum vitium, quia iratus putat omne iustum, quod facit. de hac vide it. q. 3. ira. & 5. q. 1. velut. & 5. q. 2. Irati enim dum aliena peccata corrigere student, grauiora committunt.

Bonorum consortium bonitatis iudicium.

§ 30. Benignum, ἐράδν. Ad res & personas referunt. Rectius ad personas: est enim Episcopi insignis ornamentum erga viros bonos benignitas; erga improbos, leues, auaros, aueritas probatur. Nemo enim talibus viris deditum, esse probum arbitrat. Nam suspectus Clericus, aut laicus domum Episcopalem infamat, Judaeus detestabilem facit. Praclare statutum de Episcopi familia 2. q. 7. can. 58. Cum pastoris vita esse discipulis semper debeat in exemplo, plerumque clerici, qualis in secreto sit vita sui potestis, nesciunt, quam, vt dictum est, saeculares pueri sciunt. De qua re praesenti decreto constituitur, vt quidam ex Clericis, vel etiam monachis electi ministerio cubiculi pontificalis obsequantur, vt is, qui in loco regimini est, tales habeat testes, qui vitam eius in secreta conuersatione videant, qui ex visione sedula exemplum profectus sumant.

Iustitia procul sit quae ab hostibus laudetur.

§ 31. Iustum. Iustitiam non in vita modo, sed in iudicio; cum enim tanquam Dei loco iudicet, cum a partibus crebro arbitri deligatur, omnes iustitiae numeros accurate cognoscere, & seruare studeat.

§ 32. Sanctum, ἅγιον. Duplex est in sacerdote sanctitas, prima sacramentalis, altera vitae innocentia 1. q. 1. Dominus. Nobilis est sententia distinctionis 40. cap. 3. Nos qui praesumus, non ex locorum, vel generis dignitate; sed morum nobilitate innotescere debemus: nec vrbium claritate, sed fidei puritate. Et 2. Non est facile stare loco Pauli, tenere gradum Petri, iam cum Christo regnantium: quia hinc dicitur; non sanctorum filii sunt, qui tenent loca sanctorum; sed qui exercent opera eorum. Et 12. Multi sacerdotes, & pauci sacerdotes; multi nomine, pauci opere. Videte ergo quomodo sedetis super cathedram; quia non cathedra facit sacerdotem, sed sacerdos cathedram; non locus sanctificat hominem, sed homo locum; non omnis sacerdos sanctus, sed omnis sanctus sacerdos. Qui bene sedet super cathedram, honorem accipit ab illis, qui male sedent; iniuriam facit cathedra ideoque malus sacerdos de sacerdotio suo crimen acquirit, non dignitatem. In iudicio enim sedens, si quidem bene vixeris, & bene

docueris, omni index es: si autem bene docueris, & male vixeris, tui solius condemnator eris. Nam bene viuendo & bene docendo, populum instruis quomodo debeat viuere: bene autem docendo, & male viuendo, Deum instruis, quomodo te debeat condemnare. Frustra de ordinibus sibi gratulantur, qui vitiis suis eos infamant. August. ad Valerium, epist. 148. diff. 40. ca. 7. Ante omnia peto, vt cogitet religiosa prudentia tua, nihil esse in hac vita, & maxime hoc tempore facilius, & latius, & hominibus acceptabilius Episcopi, aut presbyteri, aut diaconi officio, si perfunctorie, atque adulatorie res agatur; sed nihil apud Deum miserius, & tristius, & damabilius.

§ 33. Continentem. ἐγκρατῆν, de Clericorum continentia multa statuta a patribus in concilijs, vt Niceno can. 3. 32. diff. interdicunt. Nannetenli cap. 3. Triden. sess. 28. de reform. cap. 14. Nicolaus 5. cap. 2. de vita & honestate Clericorum ita statuit. Si diligenter attendimus vitia singula, quae in conspectu populi, deus vilescere faciunt clericale, quam odibilis sit incestus in clero, crimen incestus huiusmodi, quod plerique propter illius impunitatem, sibi blandiuntur minime verecundum, imo quasi non foret peccatum non immerito cohibere compellimur, & praesertim eo propensius in curia nostra, quo illud ibidem videtur scandalosius, & ab alijs periculosius trahitur in exemplum. Hinc est, quod nos praesentis constitutionis edicto, vniuersis & singulis sedis Apostolicae officialibus, necnon quacumque Romana curia officia exercentibus, etiam ratione officiorum huiusmodi ipsius sedis officiales non censeantur, & alijs quibuscumque clericis eandem curiam sequentibus, districtius inhiibemus, ne quisquam ex eis concubinam publice in domo suo, aut alibi, vt illius turpi commercio liberius vtatur, teneat, seu quicumque mulierem ad aliorum turpem vsu huiusmodi, vt quamcumque mulierem in praesentiarum tenuerit, nisi post praesentium publicationem in valuis Basilicae principis Apostolorum de vrbe, & in cancellaria nostra faciendam (quam etiam vim habere volumus monitionis peremptoria) infra nouem dies ab huiusmodi excessu realiter & cum effectu desisterit, ac concubinam seu mulierem ipsam penitus & omnino dimiserit, quodque quisquis in antea concubinam vel mulierem talem tenere praesumpserit, omnibus beneficijs suis ecclesiasticis, necnon quae in dicta curia obtinent vel exercent, officijs sint ipso facto priuati, illaque ex tunc possint per quoscumque alios libere impetrari, idemque priuati, necnon quicumque alij concubinas & mulieres huiusmodi, contra praesentem cohibitionem, tenere praesumentes, inhabiles censeantur ad beneficia obtinenda, & in dicta curia officia huiusmodi exercenda, nec illorum capaces efficiantur, nisi inhabilitatem suam antea, per dicta sedis litteras, obtinuerint aboleri, & interim per eos in praedictis gestia habeantur pro infectis.

Bene docere, & male viuere est sese condemnare.

Si angelo castitatis careas, oia per terram trabis,

Concubinam ruit statim beneficij priuauant.

Inhabiles sunt ad omnia beneficia.

In sacrificiis summa cura, vt recte omnia fecantur.

§ 34. Amplectentem eum qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem. Recte tractantem verbum veritatis. Quod posterius sumptum est a sacrificijs, ἐθροτομῶν τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, recte secantem verbum veritatis, quemadmodum in victimis omnia recte secabantur. Vt nimirum verbum Dei recte legat, recte interpretetur, non de suo sensum commentus, sed ex contextu, patribus, concilijs, Ecclesia. Prouerb. 11. Δικαιοσύνη ἀμαρτωλὸν ἐθροτομῶν ὁδὸς. iustitia inculpati recte vias secat. Magnum vero studium requirit, hoc ipsum ostendit, quod ait, ἀντὶ τοῦ ἁγίου, contra conantes eripere, tueri, & defendere.

§ 35. Bonum Christi militem. Duplex militia est, spiritalis, & saecularis; spiritalem omnes militant, nisi qui victi, hostium captiui sunt, sed Clerici militia illius duces sunt, & antesignani, qui Leonem se praestent, totum exercitum facile conseruant. Quomodo militabunt? arma nostra sunt orationes, & lacrymae; 23. qu. 8. cap. 19. Reprehensibile valde constat esse, quod subintulisti dicendo, maiorem partem omnium Episcoporum die noctue cum alijs fidelibus tuis contra piratas maritimos inuigilare, ob idque Episcopi impediuntur venire, cum militum Christi su Christi seruire: militum vero saeculi saeculo,

Clerici duces sunt militiae spiritalis.

secundum quod scriptum est. (Nemo mittens Deo implicat se negotijs secularibus.) Quod si saculi milites seculari militia student, quid ad Episcopos, & milites Christi, nisi ut vacent orationibus?

§ 36. Sollicite curent seipsos probabiles exhibere Deo. Nam reuera sacerdotium peccandi licentiam non adimit, sed coerctet. Cum honoris augmento cura quoque sollicitudinis debet accrescere dist. 10. orationis. Cura sit ut se Deo probent, & ut alios Deo lucentur.

Sacerdotis honor cura recte viuendi auget.

§ 37. Operarium inconfusibilem. *de veteribus*, qui non erubescat. S. Ambrosius impudoratum vocat. Eo modo quo Paulus gloriatur, cum ait: non erubescio Euangelium. Quod non est magnum cum inter Christianos honoratur Christi antistites, sed cum vel inter gentes, vel hereticos, vel impios Catholicos Christi improperium ferendum est. Primo inconfusibilis est, qui vincens inanem pudorem nullam officij partem praetermittit. Deinde qui nullis contumelijs, sannis, & irrationibus ab opere impeditur. Olim magnum periculum verecundiae erat, & nunc inter haereticos est de Euangelio; quia religio humilitatem requirit, quae contemnitur. Nec frustra Paulus Rom. 1. 16. Non erubescio Euangelium. Cur non potius gloriatur in Euangelio? Quia Judaeis scandalum, gentibus erat ludibrium.

CAPVT XI.

Reformationem Cleri ad normam Apostolicam serio vrgendam esse.

Vetusta in nouanda sunt.

§ 1. REFORMATIONE sunt, quaecumque negligentia, improbitate, temporum lapsu, & ipsa vetustate facta sunt deformia. Hoc velle, conari, efficere à primo Ecclesiae capite omnes, vsque ad infimum sacellanum, à Caesare Augusto, vsque ad minimum minimi pagi praetorem pro officio, viribusque debent. Impis, rerum sacrarum fastidiosis, saginam ex crucifixi patrimonio quaerentibus inuisum est nomen reformationis, res ipsa abominabilis, quia venter aures non habet, nec quae sub ventre, intelligentiam. Sed vrgenda tamen, & omnino perficienda reformatio.

Reformatio nis nomen inuisum.

§ 2. Causa primaria est, & esse debet summo Pontifici, Episcopis, Praelatis, obligatio, qua seuerissima tenetur. de qua alias dicam. Altera quia vsu, & tota historia antiquitatis cognitum est, tum publice puniras prouincias, & regna euerfa, vastatione, & cecidibus deformata; cum ita vitia inualuerunt, ut legum potestas illis cederet, nec illis eliminandis magistratus infundaret. sic diluuium mundus primogenius perit, sic Sodoma in flammis subedit, sic Chanaan ad summum ductis iniquitatibus extirpati sunt. Haec est enim vicissitudo rerum, hic orbis calamitatum, non fortuito grassantium, sed diuino iudicio meritas poenas exigentium. Babylonii Assyrios, hos Medii & Persae, illos Macedones, hos Romani, Romanos omnis barbaries euerit, idque eo tempore, quo quaeque gens vitiosissima fuit. Consulatur Augustinus de Africa contra Vandalos lucta, Prosper de Gallis & Hispaniis; Videantur praesentia, & his proxima, nonne Vngariae pars magna frenum Turcicum recepit, finitimosque aut crudeli, aut infida pace infestat? Locum habet hoc praecipue in populo Dei, quem beneficio ingrati ceteri poena clementer fauens numinis prouidentia reuocare consuevit. Legantur Iudicum, & Regum libri pro moribus semper fortuna fuit. Erit & in Christiano orbe, qui seruabitur, quandiu vitia punientur, quandiu virtuti studebitur, si effrenatius erumpant, euertetur, vel mutua cade, vel potentiore hoste. Vitia autem reformatione praesidia extirpabuntur.

Cum magis stratus vitia dissimulat, peribit orbis.

Timiditas quorundam praetorum perniciofa.

§ 3. Damnabilis est, & aeternis ignibus vindicabitur quorundam praetorum ambitiosa segnitie; qui molibus verbis eneruant animos, vitiosque sua sponte crescentibus spacia concedunt. Aiunt illi; alia esse nunc tempora, dissimulanda, quae vix emendari queunt, ca-

nonum rigorem esse relaxandum. Reformationes adferre incommoda, haereticos impedire disciplinam. Extiosa sunt haec verba, atque impia. Non enim temporibus, sed animis leges statuta sunt; nec vitia temporum communia exculant singulorum delicta. Nulla tempora adeo vitiosa fuerunt, ut legibus, non obstringerentur. Emendari autem possunt, qui mutari possunt; In gratiam redemptoris sunt iniurii, qui de correctione desperant; Nonne Deus Ecclesiam suam vsque in finem saeculorum custodiet, & mundabit sibi Ecclesiam acceptabilem? Quomodo igitur peccata membrorum eius si non omnino tolli, saltem minui non poterunt? Vnus Eldras, vnus Maccabaeus, quam multa corripuit; cum tota gens, in gentium mores, vitiaque tuitura fatisceret, ad pietatem reduxit partem maximam. Non est abbreviata manus Domini, ut saluare non possit, sed hominum est praecisa voluntas, ut saluari non laborent. Tot millia gentium barbararum cum ab vno saeculo Christum agnouerunt, vltis, cecidibus, polygamia, anthropophagia abdicata, Christianis se moribus formandas vtrique India, & per usque solibus Aethiopum plaga tradidit; cur nos igitur negemus, eo populum, clerumque Christianum posse redire, quo barbaries illa praecessit, veniens ab Oriente, & Occidente, & recumbens cum Abraham, & Isaac, & Jacob, & filios regni in tenebras exteriores proiectos demirans? Ignorare non possunt, sanctissimos canones, ad quos reformatioem exigo, non modo ab optimis, sed etiam mediocribus posse seruari, qui; eos fecerunt, eorum obseruationem serio praecipisse. Multae fuerunt intra paucos annos prouinciales synodi, omnium vna vox est, Canones in vsu esse reuocandos; Quod si numerum inire sit animus, haud pauciores Conciliorum canones reperiemus, quibus praescos canones seruare iubemur, quam sunt illi canones, de quibus seruandis agitur.

Corripio, test, qui corripuit.

Barbari ceteri possunt, pauperes non possunt.

Frustra canones statuuntur si seruari non possunt.

Reformatio in eruditione magna est.

Mores emendantur.

Quod si etiam propius orbem nostrum inspicere lubet. Jam multa penitus emendata sunt, ut reliqua prouinciae videantur. Ante annos centum magna orbem ignorantia tenuit, nunc artibus, ingenijs, disputatoribus fere laboratur, nunc vna aliqua ciuitas Academicam plures eruditores habet, quam olim tota Germania. magna ergo progredientes sunt facta. Itaque tum ut primum haec concipit digitis, dimidia pene Cleri, & religiosorum pars respexit retro, & latas, debellatasque saeculi vias ingressa est; nunc quamvis preciosi sunt in castris sectatorum, rari sunt tamen apostatae.

Minor, sed aliquis tamen in moribus progressus est; nam & veteres familiae religiosorum pristinam integritatem, rigoremque receperunt, & in dies magis magisque efflorescunt, magna spe meliorum temporum, cum tam sancta, fortia, Deo sacratissima pectora caliginoso mundo demonstrent continere saeculi popos, & sese pro nobis apud Deum interponant: Et nouorum turba selecta primitias spiritus praefidentes senescenti orbi auxiliari conantur. Vrgenda igitur illa res est, curandumque ut ea quae defunctae addantur. Defunctae vero quibusdam in locis plurima, in alijs paucissima, prout Episcoporum diligentia, aut incuria fuit.

CAPVT XII.

Reformationis ratio facilima est delictus ordinandorum.

§ 1. CUM in beneficiis Ecclesiasticis ea, quae haereticis successione imaginem referunt, sacris constitutionibus sint odiosa, & patrum decretis contraria, ut est in Concilio Trid. sess. 25. c. 7. hinc fit, ut nullus Clericus malus nascatur; si igitur contra canones quisquam viuit, vel ex eo est, quod malus electus sit, vel postquam ordinatus est a virtute deficiuit, quorum vtrumque sagace cautela Episcopi impediunt. Vix enim quisquam diu malus est, ut nemini constet, aliquo se iudicio semper malitia prodit.

Nemo clericus nascitur, si eligatur malus, culpa est eligentium.

§ 2.